

assignare; non est autem aliud, nisi quod respiciat alterum cui ut principali deserviat, et cui assimiletur effectus, et a quo moveatur, quod totum repugnat causæ vitali, et liberæ in operando, cum moveat se, et assimilet sibi effectum, id est, actum vitalem faciat vitalitate elevata, et sibi assimilata in quantum elevata est; sicut de facto contingit in visione beata, quæ procedit ut similis intellectui elevato, et supernaturalizato in vitalitate, et supernaturalitate, et consequenter procedit ex concursu Dei connaturali, et debito intellectui sic elevato, quia ille concursus tribuitur ad assimilandum sibi effectum, ergo non est concursus tamquam cum instrumento, sed tamquam cum causa principali. Nec obstat, quod respectu intellectus in sua activitate naturali considerari se habet ut virtus elevans, et sic videtur uti illo ut instrumento. Contra enim est, tum quia virtus illa elevans non utitur virtute activa intellectus ut præcise mota, sed ut movente se etiam in usu talis virtutis elevatæ, nec recipit illam virtutem ut effectus assimiletur alteri agenti, et ut ei ministret, sed ut assimiletur sibi, et vivat in se per illum, ergo non utitur intellectu ut instrumento, sed causam principalem constituit, licet elevata; tum etiam quia ut supra ostendimus intellectus non agit per aliam activitatem, quam per elevatam et supernaturalem in elicienda visione; si autem etiam virtus activa naturalis concurrat respectu alicujus formalitatis relucens in effectum, respectu illius non instrumentaliter se habet, sed principaliter, cum sit ei proportionatum. Si vero consideretur alia formalitas, scilicet supernaturalitas in visione, respectu hujus tota ratio operandi est lumen, et respectu illius concurrat ut causa principalis, scilicet assimilando sibi

effectum, id est, visionem ut supernaturalem, et per concursum sibi connaturalem et debitum in illo ordine, ergo intellectus ut subjectus lumini operatur, ut causa principalis illam supernaturalitatem, et non solum ministrando alteri agenti, et assimilando ei effectum, sed sibi ut elevato, vitalitatem autem etiam operatur ut causa principalis adhuc in sententia opposita, quia secundum illam est a virtute activa naturali et proportionata illi effectui. Unde ergo, et ratione cujus convenit hic causalitas instrumentalis?

XXXVI. Denique, ut exemplo manifesta fiat veritas nostræ sententiæ, considerandum est, quod aliquando viventia accipiunt virtutem ab extra, ut operentur aliquid ultra propriam speciem, nec tamen dicuntur instrumentaliter agere, sed principaliter, ut patet cum in arbore unius speciei, v. g. in opir inseritur ramus alterius speciei ut citrum, et producitur fructus alterius tertiæ speciei, ad quod non sufficiebat virtus propria, aut etiam cum femina suscipit semen alterius speciei ut asina ab equo et producit fœtum distinctæ speciei a propria ex virtute non propria, sed ei communicata, et altioris speciei, quam sua, et tamen non operatur ut instrumentum, sed est vera mater talis fœtus, et talis fructus, ergo bene potest causa vitalis ex virtute superaddita operari aliquid, ad quod non habet ex se proportionem, et tamen ut causa principalis operabitur. Et sic non mirum, quod intellectus suscepto lumine quasi semine et virtute alterius speciei, scilicet divinæ, germinet ex se fructum supernaturalis visionis, non tamen ut instrumentum, sed ut causa principalis elevata.

XXXVII. Ex quo solvitur fundamentum oppositæ sententiæ. Fun-

datur enim p. Suarez in eo quod intellectus non operatur in visione beata per virtutem propriam, sed per potentiam obedientialem, cujus proprium est moveri non movere, causa principalis debet esse illa, quæ potest operari per se, et non solum ex obedientia ad alterum. Affert etiam signum hujus instrumentalis operationis, quia in istis operationibus supernaturalibus potest magis, ac magis operari in infinitum sine termino, quod est signum instrumentalis agentis non principalis, quæ est determinata erga suum effectum. Sed respondetur quod intellectus operatur per potentiam obedientialem elevabilem ad operandum, non solum ministerialiter et ut motus, sed principaliter ut assimilans sibi effectum; ad causam autem instrumentalem magis attenditur ordo ad principale agens cui ministrat, quam ordo ad effectum, quæ non sibi sed principali agenti assimilatur, causa autem principalis directius respicit effectum quem ut proprium et similem sibi intendit quam alia quibus ministret, licet ut effectum faciat etiam ab aliis causis dependeat. Et ita bene potest aliquid principium ex se solo habere potentiam obedientialem, et tamen recepta virtute alio operari ut causam principalem, quia non recipit illam, ut deserviat et ministret alii, sed ut effectum sibi similem producat, supposita tali elevatione. Quare ad discernendum causam principalem ab instrumentali, non debet attendi a quo principio virtus operans derivetur, et an sit elevata vel extra proportionem propriæ et nativæ virtutis ejus cui datur, an non sed solum ad quem finem datur, scilicet ad assimilandum sibi, et modus secundum quem datur, scilicet ad operandum ratione sui et pro se et per virtutem postulantem concursum debitum et connaturalem,

an ut præcise motum ab alio. Ad id quod addebat p. Suarez de actibus supernaturalibus, quod possunt perfici in infinitum, respondetur hoc non esse sufficiens signum instrumentalis operationis, sed solum potentis obedientialis ad agens infinitum, a quo participari potest virtus sine terminisyncategorematicæ, quamquam aliqui velint etiam in istis formis supernaturalibus dari terminum finitum argumenti, ultra quod crescere non possint, in qua sententia non habet locum argumentum. Si tamen possunt crescere in infinitum etiam in illa sententia potest calor ignis vel lux solis de potentia absoluta augeri a Deo sine termino, non tamen propterea sol et ignis operantur instrumentaliter in calefaciendo, et lucendo.

## ARTICULUS III.

*Utrum lumen gloriæ habeat rationem causæ dispositivæ ad unionem cum divina essentia, et ad recipiendam visionem?*

I. Supponimus ex disputatione præcedenti divinam essentiam loco speciei uniri intellectui beati. Supponimus etiam ex philosophia visionem seu actum immanentem recipi in potentia eliciente illam. Inquirimus an lumen gloriæ reddat intellectum habilem et dispositum ad accipiendam istam, et uniendam illam, ita ut in hac parte gerat vicem causæ dispositivæ et materialis.

II. Negat hoc munus lumini gloriæ p. Vazquez hic disp. XLIII, cap. III, tum ad unionem essentiæ divinæ, tum ad receptionem visionis. Utrumque eodem fere probat fundamento, quia ad recipiendam formam accidentalem supernaturalem non est necessaria alia dispositio, quia

vel talis dispositio est ordinis naturalis, vel supernaturalis. Si naturalis non magis conducit ad recipiendam illam, quam nuda potentia sine tali dispositione, quæ etiam naturalis ordinis est. Si supernaturalis indigebit alia dispositione, ut recipiatur, quia eadem ratio est, et sic in infinitum. Deinde, quia licet ad formam substantialem sit necessaria dispositio habitans, et determinans materiam, tamen ad formam accidentalem id non est necessarium, sed immediate recipiuntur in subjecto, nisi quando unum accidens medio alio inest, ut albedo media quantitate. Specialiter vero in probatione de essentia divina, quia non recipitur in intellectu, nec inhæret illi ut forma accidentalis: ergo non indiget dispositione ad sui unionem.

III. P. Suarez libro II de attributis negativis, c. xv, diversimode loquitur de hoc munere luminis gloriæ respectu essentiæ divinæ, et respectu visionis beatæ. Nam respectu divinæ essentiæ dicit n. XXI, solum consistere in hoc, quod fiat conjunctio divinæ essentiæ cum lumine ad eliciendam visionem, et in hoc sensu posse lumen dici dispositionem quatenus illius objecti concursus non debetur intellectui, nisi elevato per lumen, quidquid autem amplius dicatur non esse necessarium, nec intelligi posse. Respectu vero visionis dicit n. XXIV, et sequentibus probabile esse, quod visio recipiatur in potentia mediante lumine, aut in utroque simul, sed id esse valde incertum; nam si visio recipitur in lumine, oportet quod educatur ex illo, nec enim forma aliqua accidentalis educitur ex uno subjecto, et recipitur in alio, sed in eo recipitur ex quo educitur. Non educitur autem ex lumine aut saltem id est valde incertum, tum quia educitur ex potentia obedientiali, quæ solum

in intellectu est, cum sit forma supernaturalis, tum quia assignari non potest a qua potentia activa educatur, ab ipso enim lumine educi non potest, alias idem esset simul agens, et patiens respectu ejusdem, nec ab intellectu, quia est inferioris ordinis, tum denique quia, ut sæpe diximus in physicis, licet a potentia et specie eliciatur visio, in sola tamen potentia recipitur, ne dicamus idem simul esse agens et patiens: ergo similiter in sola potentia, et non in lumine recipietur visio, ne idem simul sit agens, et patiens.

IV. Nihilominus expressa D. Thomæ sententia est, lumen non solum requiri ut vim activam ad eliciendum visionem, sed etiam ut positivam ad unionem cum essentia divina, magisque expressum invenimus in D. Thoma, quod requiratur lumen ad uniendam essentiam divinam intellectui, quam ad recipiendam visionem, hoc enim tamquam minus dubitabile relinquitur, aut ut consecutum ex priori, illud enim quod est susceptivum speciei debet a fortiori esse principium recipiendi visionem quæ est actus immanens et habet pro receptivo sui principium elicitive sui, prout tale principium dicit potentiam proxime habitatam, et proportionatam ad operandum. Et sic est communis ista sententia inter discipulos, et interpretes S. Thomæ ad istum articulum v hujus quæstionis, ut videre potest apud Cajetanum, Bagnez, Gonzalez, Zumel, Nazarium, theologos Carmelatinos, et alios plures, et tenet etiam Ferrariensis III contra gent. cap. LIV.

V. Dico ergo: Primo respectu unionis essentiæ divinæ cum intellectu per modum speciei intelligibilis, lumen gloriæ habet rationem causæ materialis, et dispositivæ est D. Thomæ in hoc articulo v, ubi do-

cet: « Quod essentia divina fit forma intelligibilis intellectus, ut videatur per essentiam; unde oportet quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc ut elevetur in tantam sublimitatem. » Et III contra gent. c. LIII: « Nihil est susceptivum formæ sublimioris, nisi per aliquam dispositionem ad illius capacitatem elevetur, proprius enim actus in propria potentia fit: essentia autem divina est forma altior omni intellectu, ad hoc ergo quod essentia divina fiat species intelligibilis alicujus intellectus creati, necesse est quod intellectus creatus aliqua dispositione sublimiori ad hoc elevetur. » Idem etiam docet in IV, dist. XLIX, q. II, art. VI.

VI. Fundamentum hujus conclusionis sine dubio consistit in eo, quia aliquæ formæ, ita coordinantur aliis, quod necessario debent illas supponere ut recipiantur, sicut actus ultimus mediante actu primo, ut operatio media potentia, color media superficie. Quæ doctrina generalis est, nec negatur ab adversariis, sed difficultas est in applicando illam ad præsentem materiam. Et licet videamus requiri pro nostra justificatione aliquas dispositiones, ut infundatur gratia et similiter pro recipienda forma substantiali requiri dispositiones in materia, tamen hæc exempla non multum urgent adversarios, quia tales dispositiones non se habent ut medium recipiendi physice formam ultimam: nam gratia ad quam disponimur nostris actibus, immediate inhæret in essentia animæ, et forma substantialis immediate unitur materiæ, ut substantiali principio sine hoc quod mediante accidente illi conjungatur. Unde istæ dispositiones magis requiruntur ad expulsionem contrariarum dispositionum, et consequenter contrariæ formæ, et sic ad inclinandum et determinandum

materiam, vel subjectum de se indifferens ad talem formam introducendam, quam ad constituendum subjectum habile, ut mediante tali dispositione media receptivum sit formæ. At vero lumen gloriæ si requiritur ut dispositio ad unionem cum divina essentia, non se debet habere ut dispositio expellens aliquid contrarium, et sic determinans indifferentiam intellectus ad hanc formam, nihil enim tale contrarium est quod per lumen gloriæ expellatur. Quod solum requiretur ad hoc ut intellectus qui est inferioris ordinis, per illud lumen elevetur, et trahatur ad sublimiorem dispositionem in qua maneat proportionatum subjectum ad illam unionem (in quo solo facit vim D. Thomæ verbis supra citatis) et sic deserviat ut medium recipiendi, sicut potentia operativa ad recipiendum actum, et superficies ad recipiendum colorem; ita ut medio lumine recipiatur, quia medio illo proportionatur ad talem formam, quod non currit in materia respectu formæ, vel in anima respectu gratiæ, quia hæc se ipsis, et non per dispositiones proportionantur ad recipiendum. Et de hoc inquirimus, cur etiam obedientialis potentia intellectus non immediate proportionatur divinæ essentiæ uniendæ, sed medio lumine? De hoc reddenda est ratio.

VII. Quare sequendo D. Thomæ rationem, dicendum est, desumendam esse rationem hujus ex ipsa natura speciei intelligibilis non considerata in esse entis, sed in linea, et ordine intelligibili. Videmus enim unam et eandem speciem visibilem, ut recipiatur in esse entis, et qualitatis cujusdam, non requirere tamquam materialem causam, et receptivam aliquam potentiam vitalem, sed recipi in aere, ut tamen recipiatur, et afficiat modo intentionali requirere potentiam vitalem

scilicet visum lumine illustratum, et dispositum, ergo ad recipiendum formam intelligibilem in esse intelligibilis, oportet quod intellectus non solum consideretur in potentia obedientiali, sicut sufficit ad recipiendas formas aliquas supernaturales, in esse qualitatis, sed requiritur, quod sit proxime habilis, et proportionatus ad utendum illa specie. Et hoc ideo est, quia ista informatio, seu actuatio speciei in esse vitali, et intentionali non est informatio solius speciei, sed etiam objecti representati in illa, quod in alio esse, scilicet in esse intelligibili, et non esse physico reddit potentiam actuatam et perfectam, potentia autem non proportionata, nec habilis ad utendum specie non est capax hujus informationis in esse objectivo, quia informatur hoc modo objectivo, hoc ipso fecundatur, et utitur illo ad cognoscendum, ergo cum essentia divina non informet intellectum per modum qualitatis, et inhæSIONIS, quod est impossibile, sed pure in esse intelligibili, consequenter ad talem unionem, seu informationem necessario requirit potentiam esse proxime habitatam, et proportionatam per lumen gloriæ ad utendum illa specie, et sic ad istam unionem essentiæ divinæ in ratione speciei intelligibilis formaliter (qua solum ratione potest uniri) impertinenter se habet sola potentia obedientialis intellectus, quia hæc potest quidem sufficere ad recipiendam formam supernaturalem in ratione qualitatis inhærentis, et ad sustentandam illam in esse entis, nec tamen ad actualionem speciei modo intelligibili, et intentionali, quia ad hoc necessario requiritur tamquam subjectum habile potentia habens virtutem proportionatam ad utendum specie. Unde si per impossibile daretur species creata divinæ essentiæ in se,

quæ esset accidens inhærens non apparet repugnantia, quod immediate reciperetur quantum ad inhærentiam, et sustentationem sui in ipsa potentia intellectus, et non mediante lumine, sicut potest dici de speciebus supernaturalibus scientiæ infusæ, quod immediate inhærent in potentia, et non mediante lumine infuso, licet non possint actuare modo intelligibili, et secundum quod utitur illis intellectus, nisi mediante lumine infuso. Unde ratio D. Thomæ supra allata procedit de dispositione ad formam sublimiorem in ipso modo informandi, et non solum in esse entis. Dico secundo, etiam lumen gloriæ est dispositio ad recipiendam ipsam visionem a se elicitan, tum in ratione actus vitalis, et vitaliter denominantis, tum in ratione qualitatis inhærentis. Supponimus qualitates istas vitales posse in aliquo subjecto dupliciter subjectari, uno modo in ratione communi accidentis per simpliciter inhærentiam secundum quam rationem multi probabiliter admittunt posse Deum conservare conceptu vel actum vitalem, aut gratiam in lapide, vel in re inanimata, et species impressa de facto sic aliquando inhæret, ut species visibiles in aere. Alio modo possunt isti actus inhære, et actuare subjectum speciali ratione quatenus vitales sunt, et modo vitali subjectum perficiunt, et determinant, et hac ratione non possunt poni tales actus vel formæ nisi in subjecto quatenus vivente, vel cognoscente per illas. Sic ergo probatur prima pars conclusionis quia visio Dei est intrinsece vitalis, et immanens, ergo non potest respicere pro subjecto, nisi potentiam ut viventem actu per illos, sed illi actus sunt vitales supernaturaliter, ergo necessario requirunt pro subjecto potentiam viventem vita supernaturali; constat autem quod potentia vivens vita

supernaturali; constat autem quod potentia vivens vita æterna, et supernaturali, non est intellectus nudus, et in potentia obedientiali, sed lumine gloriæ elevatus, ergo ratione luminis est subjectum visionis, ita quod potentia intellectiva ratione solius potentiæ obedientialis non est immediate capax illius actus, sed mediante lumine, quia non est capax actualis vitæ supernaturalis in actu secundo, nisi mediante actu primo, quo constituitur proxime in ratione potentiæ proportionatæ, et viventis vita supernaturali, quia omnis actus secundus dicit essentialem ordinem ad actum primum, ut præsuppositum sibi, solum autem potentia est in actu primo ratione luminis, quo fit proxime potens et proportionata ad illum actum secundum, ergo solum ratione luminis suscipere potest visionem, quæ est actus secundus.

VII. Ex quo probatur secunda pars conclusionis, quia non potest in esse qualitatis inhære aliqua forma connaturaliter, nisi ubi juxta suæ propriæ, et specificæ naturæ modum petit inhære, constat autem quod actus vitalis petit connaturaliter juxta specificam suam naturam inhære modo vitali, et in subjecto vivente, ergo etiam in ratione qualitatis idem subjectum connaturaliter petit, nec etiam separari potest in præsentia ratio qualitatis, et talis qualitatis cum sint una eademque natura, et ubi connaturaliter existit in ratione talis qualitatis, id est, actus vitalis, ut vitalis, ibi quoque connaturaliter esse petit in ratione qualitatis. Quod si in alio subjecto ponatur, in quo non reddat, et ponat suum specificum, et proprium effectum formalem, qui est reddere vivens in actu, non erit ibi connaturaliter, quia non habebit proprium effectum formalem, et subjectum quod non est capax proprii effec-

tus formalis, non est connaturale ipsi formæ. At sine lumine gloriæ non potest dari effectus formalis visionis, qui est constituere videntem in actu secundo, quia sine lumine gloriæ subjectum non habet facultate videndi, ergo non datur sine ullo subjectum connaturaliter capax talis visionis etiam in esse qualitatis, sicut si poneretur in lapide, vel in equo.

VIII. Nec potest instari, hæc ratio in ipsis speciebus, quæ recipiuntur entitative in ipsa potentia immediate imo et extra potentiam, licet non præbeant effectum formalem intentionalem, nisi quando actu potentia cognoscit. Et ipsa cognitio elicitur a potentia, et specie, non tamen recipitur nisi in sola potentia: ergo similiter potest elici a potentia, et lumine, et in sola potentia subjectari. Et ipse actus charitatis elicitur a potentia, et ab habitu, nec tamen in habitu recipitur, sed in voluntate, et in quolibet habitu acquisito, actus qui mediante eo egreditur non mediante eo recipitur, sed immediate in potentia. Respondetur primam instantiam nihil probare, quia species non est formaliter qualitas vitalis sicut ipse actus secundus, qui vitaliter elicitur, species autem provenit ab extra ad terminandum potentiam objective: unde non petit ita connaturaliter subjectari in subjecto solum ut actu cognoscente, sicut ipse actus secundus vitalis, sed potest extra inveniri, sicut ab extra provenit. At vero species illa, quæ pure modo intelligibili actuatur, et non entitative ut essentia divina, requirit ad sui unionem lumen gloriæ, quod non requireret species creata, si daretur, ut diximus præcedenti conclusione. Ad secundam instantiam dicitur quod species non se habet ut proportionans, et habitans potentiam in ratione virtutis, et facultatis